

**BRYI GENERIS SUPSPECIES NOVA.**

(Una cum decem figuris.)

Scrispsit: Iosephus Podpěra (Brno).


(Eingegangen am 19. VI. 1932.)

*Bryum turbinatum* Hedw.

subsp. **B. Stephani** Podp. subsp. nov.

Laxe caespitosum, 1 cm altum, e fusco viride, intus fuscescens, minime contextum, innovationibus multis. Folia caulina lanceolata, comalia  $2 \times 0,75$  mm; innovationum paulum latiora, ovato-lanceolata  $1,5 \times 0,60$  mm, omnia ad basin paulisper auriculata, non decurrentia, conspicue seriebus cellularum 2 vel 5 fusciscentium limbata, limbo

autem ad auriculum nullo existente, usque ad apicem revoluta. Cellulae typo angustiores et solito longiores, basilares rectangulae  $0,022$  mm latae et  $0,066$  mm longae, ad angulos paulisper inflatae, brevius rectangulares, sed non quadratae, mediae rhomboidales usque hexagonales  $0,013$  mm latae et  $0,050$  mm longae, superiores elongato-hexagonales vel elongato-rhomboidales  $0,011$  mm latae et  $0,050$  mm longae. Costa crassa, ad basin  $0,9$  mm lata, e rubro fusca, cusptide longa,



*B. turbinatum* Hedw.  
subsp. *Stephani*. Podp.  
subsp. nov. *Explicatio imaginum*. 1, 2 Folia caulina comalia (25/1); 3, 4 folia innovationum (25/1); 5 cellulae *B. turbinati* laminae superioris [Brandenburg, Neuruppin Juni 1884 Warnstorf (175/1)]; 6 cellulae lam. super. (175/1); 7 cell. sub medio versus costam (175/1); 8 cell. suprabasilares (175); 9 cell. angulares (175); 10 capsula (25/1).

fuscescente, integre excurrens. Seta brevis, cc. 2 cm longa, ad basin ex atro fusca, ceterum fusca, superne arcu brevi hamata. Capsula pendula, collo brevissimo, late ovato-piriformis, fere usque orbicularis, 2 usque 2,5 mm 1,2 mm et ultra crassa, deoperculata praecipue ad capsulas breviores ad os latissima, operculata sub orificio praecipue ad capsulas longiores paulisper contracta, numquam autem sicca, sub ore dilatato strangulata. Operculum humile, conicum, apiculo acuto. Dentes exostomii fuscescentes, fundo paulisper conspicuo, lamellis cc. 16. Sporae 0,018 mm e luteo virides. Maturatur mense Iunio.

Hungaria meridionalis, comitatus Csongrád, in vicinia civitatis Szeged, in oppido **Kiskúndorozsma** prope „**Ruzsa szék**“ (lacus natronatus) ad ripam una cum *Atropi limosa* et *Lepidio cartilagineo* ad substratum natronatum, 82 m s. m. Die 12 mensis Iunii a. 1932, detexit et mecum benevole professor **István (Stephanus) Györfly** (Szeged) communicavit.

Xeromorphosis, melius halomorphosis *B. turbinati*, quae cellulis solito minoribus et elongatis a typo differt. Notis criticis comparatis haec discrimina a nobis proferri possunt:

*B. turbinatum typicum.*

Folia inferiora paulisper decurrentia, non omnia auriculata, limbo minus distincto, ad basin vel supra dimidium revoluta.  
Cellulae leptodermes, mediae 0,018 mm, basilares 0,028 mm latae.  
Capsula plerumque (sed non semper) sub ore dilatato strangulata.  
Dentes exostomii lutei.  
Sporae e fusco luteae 0,014 usque 0,018 mm.

*B. Stephani.*

Folia non decurrentia, paulisper auriculata, limbo conspicuo, fuscescente, usque ad apicem revoluta.

Cellulae medioeriter incrassatae, mediae 0,013, basilares 0,022 mm latae, elongatae.

Capsula sub ore dilatato vel prorsus non, vel minime contracta.

Dentes exostomii fuscescentes.

Sporae 0,018 mm e luteo virides.

E notis criticis, quas contulimus, praecipue formam et magnitudinem cellularum maioris momenti esse nos putavisse apparet; non sine causa igitur hoc *Bryum* subspeciem aestimandam esse censemus.

In cyclum affinitatis *B. turbinati* illud *Bryum* quoque attinet, quod *B. conspicuum* (**Podp. Mon. studie 57, T. III. fig. 23. 1901.**) e vicinia urbis Pragae Bohemiae centralis descripsi. Xeromorphosis in fissuris schistarum madidarum crescens, forma et magnitudine capsularum *B. Stephani* aemulans, sed cellularum forma a typo non differens. Modo, quod ad formam (f. *conspicuum Podp.*) attinet, aestimandum est. Diagnosin hoc modo contribuimus: Plantae parvulae, folia singulis vel binis seriebus luteo-limbata, setae 2 usque 2,5 cm altae, capsula nutans vel pendula e collo brevissimo breviter orbiculatim piriformis, sub ore dilatato paulisper contracta. — Bohemia, Praga, in fissuris schistarum madidarum prope Roztoky (1891. Oct. **Velenovsky**).

